

University of Groningen

Specimen medicum inaugurale, sistens nonnulla de otorrhœa

Westendorp Boerma, Nikolaas

IMPORTANT NOTE: You are advised to consult the publisher's version (publisher's PDF) if you wish to cite from it. Please check the document version below.

Document Version

Publisher's PDF, also known as Version of record

Publication date:

1855

[Link to publication in University of Groningen/UMCG research database](#)

Citation for published version (APA):

Westendorp Boerma, N. (1855). Specimen medicum inaugurale, sistens nonnulla de otorrhœa [S.l.]: [S.n.]

Copyright

Other than for strictly personal use, it is not permitted to download or to forward/distribute the text or part of it without the consent of the author(s) and/or copyright holder(s), unless the work is under an open content license (like Creative Commons).

Take-down policy

If you believe that this document breaches copyright please contact us providing details, and we will remove access to the work immediately and investigate your claim.

Downloaded from the University of Groningen/UMCG research database (Pure): <http://www.rug.nl/research/portal>. For technical reasons the number of authors shown on this cover page is limited to 10 maximum.

SPECIMEN
MEDICUM INAUGURALE,

SISTENS

Nonnulla de Otorrhoea.

QUOD,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI

CORNELII STAR NUMAN,

Phil. Theor. Mag., Litt. Hum. et Jur. Ut. Doct., Juris Prof. Ord.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS

AC PRIVILEGHS,

IN ACADEMIA GRONINGANA,


RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ORDINIS EXAMINI OFFERT

NICOLAUS WESTENDORP BOERMA,

e pago 't Zandt. Omlandus.

—
A. D. XVI JUNII A. MDCCCLV, Horâ XL



G R O N I N G A E ,

Apud P. VAN ZWEEDEN.

Bibliopolam.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

DEPARTMENT OF CHEMISTRY

LABORATORY OF ORGANIC CHEMISTRY

REPORT OF THE

LABORATORY OF ORGANIC CHEMISTRY

FOR THE YEAR 1911

EDITED BY

ROBERT B. WOODWARD

CHICAGO, ILL.

UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

1912

PRINTED BY THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILL., U.S.A.

PARENTIBUS OPTIMIS

CARISSIMIS

S A C R U M.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

RESEARCH REPORTS

CONTENTS

1. [Faint Title]	[Faint Page]
2. [Faint Title]	[Faint Page]
3. [Faint Title]	[Faint Page]
4. [Faint Title]	[Faint Page]
5. [Faint Title]	[Faint Page]
6. [Faint Title]	[Faint Page]
7. [Faint Title]	[Faint Page]
8. [Faint Title]	[Faint Page]
9. [Faint Title]	[Faint Page]
10. [Faint Title]	[Faint Page]
11. [Faint Title]	[Faint Page]
12. [Faint Title]	[Faint Page]
13. [Faint Title]	[Faint Page]
14. [Faint Title]	[Faint Page]
15. [Faint Title]	[Faint Page]
16. [Faint Title]	[Faint Page]
17. [Faint Title]	[Faint Page]
18. [Faint Title]	[Faint Page]
19. [Faint Title]	[Faint Page]
20. [Faint Title]	[Faint Page]
21. [Faint Title]	[Faint Page]
22. [Faint Title]	[Faint Page]
23. [Faint Title]	[Faint Page]
24. [Faint Title]	[Faint Page]
25. [Faint Title]	[Faint Page]
26. [Faint Title]	[Faint Page]
27. [Faint Title]	[Faint Page]
28. [Faint Title]	[Faint Page]
29. [Faint Title]	[Faint Page]
30. [Faint Title]	[Faint Page]
31. [Faint Title]	[Faint Page]
32. [Faint Title]	[Faint Page]
33. [Faint Title]	[Faint Page]
34. [Faint Title]	[Faint Page]
35. [Faint Title]	[Faint Page]
36. [Faint Title]	[Faint Page]
37. [Faint Title]	[Faint Page]
38. [Faint Title]	[Faint Page]
39. [Faint Title]	[Faint Page]
40. [Faint Title]	[Faint Page]
41. [Faint Title]	[Faint Page]
42. [Faint Title]	[Faint Page]
43. [Faint Title]	[Faint Page]
44. [Faint Title]	[Faint Page]
45. [Faint Title]	[Faint Page]
46. [Faint Title]	[Faint Page]
47. [Faint Title]	[Faint Page]
48. [Faint Title]	[Faint Page]
49. [Faint Title]	[Faint Page]
50. [Faint Title]	[Faint Page]

PRAEFATIO.

Studiis Academicis finem impositurus, gratias Vobis hic ago quam maximas, viri Clarissimi! tam studiorum Physicorum et mathematicorum, quam medicorum, pro egregiis lectionibus, quibus frui mihi licuit, et pro diligentia et benevolentia, qua semper mihi optimam viam ad rerum cognitionem capessendam, monstrare conati estis.

Tibi vero imprimis, vir Clar. de la Faille! gratissimum obtestor animum pro consiliis et beneficiis, quibus mihi semper adesse voluisti. Diu D.O.M. Vos omnes servet.

Dulcissimum quoque mihi est, vos nominare, viri Doct. W. Verschuër et A. H. Swaagman! quorum benevolentiae atque amicitiae quam maxime debeo et quorum consiliis uti mihi licuit.

Vobis tandem, Commilitones amicissimi! quibuscum in curriculo academico arctiore amicitiae vinculo conjunctus fui, vale dico: prospera sit vobis vita et longa mei memoria!

Valeatis!



PLANNING

GENERAL PRINCIPLES

The first principle of planning is that it should be a continuous process. It is not a one-time exercise, but a dynamic activity that evolves as the organization's environment changes. Planning should be integrated into the organization's overall management process, rather than being a separate, isolated function.

Secondly, planning should be participative. It is not the sole responsibility of top management, but a process that involves all levels of the organization. This ensures that those who will be responsible for implementing the plans have a say in their development.

PLANNING PROCESS

The planning process typically begins with the establishment of a clear vision and mission statement. These statements provide the foundation for all subsequent planning activities. They define the organization's purpose and the long-term goals it seeks to achieve.

Next, the organization identifies its key strategic areas and sets specific, measurable objectives for each. These objectives are then translated into detailed action plans, which outline the specific steps and resources required to achieve them.

Once the plans are developed, the organization must monitor and evaluate their progress. This involves comparing actual performance against the planned objectives and making adjustments as needed. Regular communication and reporting are essential for this process.

Finally, the organization should review its planning process periodically to ensure it remains effective and relevant. This may involve assessing the quality of the plans, the accuracy of the information used, and the overall impact of the planning process on the organization's performance.

In conclusion, planning is a critical management function that enables organizations to anticipate future challenges and opportunities, allocate resources effectively, and achieve their long-term goals. By following these general principles and the planning process, organizations can increase their chances of success in a competitive and uncertain environment.

SPECIMEN MEDICUM
INAUGURALE,

EXHIBENS NONNULLA

DE

OTORRHOEA.

—•••••

I N T R O D U C T I O.

Diu profecto in seligenda materia, quam pro dissertatione inaugurali necessitas me urget pertractare, ut Academicis institutis obsequar, dubius haesi. Multa sane supersunt in disciplina medica, quae vel sedula perscrutatione, vel accuratiore elaboratione indigent; verum non omnia viribus juvenilibus idonea sunt quae pertractentur, neque omnia aequè placent.

Quum mihi contigerit, non paucos aegros videre otorrhoëâ affectos, non inutile fore tandem ratus sum, nonnulla de illo morbo

colligere. Ut autem huic proposito rite respondeam, hujus dissertationis argumentum ita pertractabo, ut primo nonnullos referam casus, quos observare mihi licuit; dein morbum ipsum pathologicè demonstrare conabor.

Sicco pede transiliens consuetudinem, plures errorum excusationes afferendi, haud tamen dubito, quin L. B. in hocce opusculo, a juvene elaborato, doctam et eruditam non quaerat commentationem.

PARS PRIMA.

Casus Otorrhoeae.



CASUS I.

Puella, 20 annos nunc nata, scrofulosa, ex aetate 8 annorum, qua scarlatinâ fuit correpta, otorrhoea laboraverat. Examine instituto patet, in utraque aure tympani membranam esse erosam. Etenim si aegra post fortem inspirationem, ore clauso naribusque compressis, fortiter expiret, strepitus auditur acutus, veluti rhonchus mucosus, ab adstantibus. Speculo auris adhibito, in dextra aure fere omnino destructa apparet tympani membrana, et auditus ossicula omnia deesse videntur. Meatus auditorii profundior pars superficiem praebet polyposam, ac levi attactu (specille balaenacei ope) sanguinem emittit. Audiendi facultas hoc latere adeo est abolita, ut horologii sonum (qui sano auditus organo auditur ad distantiam $4\frac{1}{2}$ me-

trorum Neêrl.) percipere nequeat aegra, nisi aurem fortiter appri-
mat. Auris sinistra illum sonum percipit ad distantiam unius fere
decimetri. Myrinx hic foramine perfossa est, magnitudinis circiter
 $1\frac{1}{2}$ ad 2 millim. Quae superest pars myringis, granulis carnosis
obtectâ cernitur. Meatus auditorius eodem modo ac ille oppositi la-
teris, parvas eminentias refert polyposas. Fluidum, quod secernitur,
colorem habet flavescenscentem; est aquosum, nonnumquam fere ino-
dorum, sed alio tempore foetorem spargens vix ab adstantibus
perferendum. Nec specilli argentei ope, neque fluidi iudagatione
microscopica, indicia inveniuntur pathicae affectionis ipsius ossis
substantiae.

Instituit vir doct. S w a a g m a n bis de die prudentissima
manu (sicut in ejusmodi casu semper fieri debet) injectiones ex
aqua tepida, et semel de die adhibebantur instillationes ex nitratis
argenti solutione mitissima. Praeterea ob diathesin scrofulosam
aegrotâe commendavit pilulas ex hydroiodate potass. et usum olei
jecoris aselli. Qua curâ, per 2 menses adhibitâ, otorrhea non
solum plane cessavit, sed et audiendi facultas ita restituta est, ut
auris sinistra ad distantiam 19 decim. percipere nunc possit horolo-
gii sonum. Aure dextra tamen surdam eam remansisse, facile
intelligitur.

Licet ceruminis secretio jam redeat, tamen per 6 hebdomades
adhuc continuavit aegra adhibere dicta medicamina, sed sensim
minus frequenter. Gossypio praeterea semper occludit meatum audi-
torium, ne aëre frigido, cavitatem tympani irritante, inflammatoria
affectio de novo incitetur.

CASUS II.

Juvenis 15 annorum, bene evolutus, ante decennium angina-gravi scarlatinosa laboraverat. Convalescens ex hoc morbo doloribus cruciatur aurium gravissimis, et simul audiendi facultatem sensim sensimque minui percipiebat. Paulo post subita exoriebatur otorrhoea, quam doloris et surditatis insigne levamen est secutum.

Fluxus ille per totum decennium, brevioribus vero intervallis (quibus semper surditatem ac dolores angere dicit) perduravit. Quod secernitur fluidum non semper ejusdem est indolis: etenim nonnumquam viscidum est, ac albescentem vel flavescens refert colorem; alio tempore magis limpidum vel sanguinolentum est; semper tamen valde foetet.

Remotà materie purulenta injectionibus aquae tepidae, exploratio auris sequentia docet:

Superficies meatus auditorii in utraque aure ulcerosum ac polyposum praebet adspectum; tympani membranae magno foramine perfossae sunt; in aure dextra malleus denudatus facile cerni potest, et quae superest myringis pars carunculae solummodo vestigia monstrat; ex aure sinistra vero malleus et incus cum pure egressi sunt et ab aegro conservati.

Tonsillae sunt tumefactae, tota pharynx leviter inflammata, vox rauca. Halitus oris non raro valde foetet, et tunc simul percipit aeger saporem ingratisimum, qui ab effluvio puris per tubam Eustachianam pendere videtur. Si aeger expirat, ore clauso naribusque compressis, aër foetidus, magno strepitu, e meatu extruditur; interdum adest sat gravis dolor. Auditur ab aegro horologii sonus sinistro latere non nisi aurem apprimendo; dextra autem

aure ad distantiam 2 decim. Refert aeger, se jam plura ac diversa adhibuisse remedia, siue ullo fausto effectū. Quotidie nunc per 2 $\frac{1}{2}$ menses a Medico injiciebatur aqua tepida, qua injectione non solum halitūs oris foetor et sapor ingratus plane tollebantur, sed audiendi quoque facultas multo fiebat acutior. Dein per 2 et quod excurrit menses mitissima adhibita sunt adstringentia, simul cum gargarismatibus, eo effectū, ut fluxus non solum plane sanatus sit, sed audiendi facultas simul dextra aure ad 21 decim. distantiam redierit.

CASUS III.

S. B., femina, 46 annos nata, semper optima sanitate ac acuto auditu gavisā est, praeter duos circiter ultimos annos, quo tempore subito gravissimis aurium doloribus fuerit cruciata, imprimis in latere dextro, conjunctis cum rubore, calore et magna intumescētia auris. Inflammatio illa postquam per triduum illam vexaverat, in suppurationem exiit, qua tunc symptomata inflammatoria quidem diminuerunt, ita ut dein nonnisi rarius leviores modo dolores advenirent; auditus vero acumen ab eo inde tempore ita decrevit, ut acumetri ope exploratae ambae aures vix audiant sonum ad 1 vel 2 centim. distantiam. Quod effluit pus viscosum est, non foetidum. Superficies meatus auditorii laevis et rubra cernitur, et ambae myringes granulis obtectae sunt veluti carnosae. Perforationis signa tamen nondum exstant. Praeter multa a plebe

laudata remedia domestica, diu quoque usa est aegra oleo, quod Maurice Mène nomine *Huile acoustique*, ut suum arcanum contra surditatem commendat; tamen sine omni bono eventu. Quia nullum verae phlegmonis symptoma superest, medicus ei commendavit solutionem nitratis argenti (gr. I. ad unc. I aq. destill.) ad instillandum; dum a me ipso simul quotidie instituebantur injectiones aquae tepidae. Quatuor hebdomadibus praeterlapsis, excrescentiae carunculosae plane jam evanuerant. Fluxu autem, licet minori quidem gradu, perdurante, injiciebatur quotidie solutio acetatis plumbi. Quibus injectionibus per quinque et quod excurrit hebdomades protractis, otorrhoea plane cessavit et audiendi facultatem ita recuperavit aegra, ut horologii sonum ad $1\frac{1}{2}$ et $\frac{1}{2}$ met. distantiam optime percipiat. Tympani membrana, licet adiphana, albidioram tamen acquisivit colorem, ac cerumen, cujus secretio antea fuerat suppressa, nuper iterum secernitur.

CASUS IV.

Vir 24 annorum, ludi magister, ab infantili aetate, longioribus vel minoribus intervallis, otorrhoea laboravit. Licet in genere vix ullo dolore crucietur aeger, tamen fluxui, si aliquamdiu fuerit retentus, redituro semper praecedere barycoiam et dolores nonnumquam vehementes, se per totum capitis latus extendentes, narrat aeger: quae tamen symptomata statim cessant, si puris satis magna

quantitas effluerit. Fluidum, quod secernitur, antea inodorum, postremo tempore ingratisimum spargit odorem, et specillum argenteum nigro colore obducit. Percipitur horologii sonus aure sinistra ad 3, dextra ad 2 centim. distantiam. Remotâ magna quantitate materiei, cerumini haud dissimilis, meatûs auditorii ac tympani membranae superficies cernitur granulosa, quasi conjunctiva *panno* affecta. Specilli ope nullum vestigium cariosae affectionis in meatu invenitur. Hic aeger quoque multis jam remediis, ab hoc illove commendatis, usus fuerat, inter quae sufficiat nominasse: ol. olivarum, camphoram gossypio involutam, ol. animal. Dippelii, glycerinam cet.

Ob scrofulosam diathesin illi praescrispsit medicus pilulas ex jodureto ferri; simul commendavit oleum jecoris aselli, ad nucham fonticulum applicavit, et injectiones instituit ex aqua tepida. Quâ curâ, per 3 menses protractâ, fluxus sensim imminuit, ac audiendi facultas ad 4 et 12 centim. distantiam est restituta. Exploratae tamen tunc partes affectae non erant mutatae. Hinc ab illo tempore per 4 menses injecta est solutio acet. plumbi, alternans quovis die cum injectionibus supradictis: quo tempore praeterlapso penitus cessavit effluxus auditumque recuperavit aeger ad 7 et 19 decim. distantiam; excrescentiae in meatu ac myringe plane evanuerunt, et nulli amplius percipiuntur dolores.

CASUS V.

Vir 71 annorum, Inspector paedagogices, per annos ex aure sinistra effluxum passus erat ichoris valde foetidi; audiendi facul-

tatem hac aure plane amiserat. Exploratione meatus auditorii cernitur polypus permagnus, e tympani cavitate, sicuti videtur, prodicens et ad porum usque externum se extendens. Aegro vehementer flagitante ut liberaretur ab incommodis cum isto effluvio conjunctis, polypum Medicus extraxit, et per 4 dein hebdomades instituit injectiones aquae frigidae, dein per 2—3 menses solutionis acetatis plumbi (scr. β ad unc. l). Quo facto fluxus plane cessavit.

CASUS VI.

Vir, 40 circiter annos natus, miles equestris, inde ab infantili aetate fluxu laboraverat gravi ex aure dextra; in cujus sanationem multis et variis medicaminibus usus est. Foetorem spargit fluidum secretum intolerabilem, ita ut aeger diu inter alios versari vix possit; quamobrem ille quoque consortia plane evitat.

Examine auris instituto patet, illam aurem fere omnino amisisse facultatem audiendi, quum acumetri sonum percipere nequeat aeger, nisi fortiter illud apprimatur ad aurem. In meatus auditorii profundiore parte haeret excrescentia polyposa, quae meatum plane adimplet, ita ut specillum introduci nequeat. Exspiratus fortiter aër, naribus ac ore simul clausis, nonnumquam meatu efflatur strepitu sibilante, ac foetorem spargens ingratissimum. Saepius e tuba Eustachiana in pharyngem fluit, vomituritionem et vomitum tunc excitans. Fluidum ergo non solum in meatu audito-

rio externo, sed simul in tympani cavitate producit. Exploratione specilli ope quantumpotere peracta, nullum apparet vestigium pathicae ipsius osseae substantiae affectionis, neque pus continet osseas particulas exfoliatis, quemadmodum illud indagationibus repetitis microscopicis patuit.

Commendabantur aegro, praeter fonticulum ad brachium, injectiones tam in tuba Eustachiana (quas ipse exercitationibus nonnullis satis facile, catheteris ope, sibi applicare poterat) quam in meatu auditorio, primis hebdomadibus ex aqua frigida, dein ex acetatis plumbi solutione; dum per meatum simul inflabatur pulvis e croco orientali et alumine usto. Quam curandi methodum nunc jam per tres pluresve menses secutus est eo effectu, ut non solum effluvium jam diu cessaverit, sed etiam parva frustula excrescentiae cum injectionibus nonnumquam remota sunt, uti aeger, laetus jam de effectibus, e dicta curandi methodo hucusque acquisitis, ante nonnullos dies suo medico certiore fecit.

Licet difficile mihi non esset plures ac similes referre observationes, ad morbum, de quo agimus, spectantes, potius tamen dictis adjungam unicum casum e multis aliis observatis atque descriptis, quo demonstratur quam gravis et periculosa fieri possit otorrhoea; cujus rei exemplum mihi ipsi observare nondum contigit.


CASUS VII.

Puer 9 annorum jam per 3 annos otitide graviore laboraverat, quae gravissima affectio, invitis doloribus repetitis saevissimisque, neglecta videbatur, quando in Nosocomium suburbanum Amstelodamense recipiebatur. Sequentia notaverat Cl. Schroeder vander Kolk: ulcus aderat pone aurem sinistram; in meatu autem auditorio ipso insignem deprehendit ulcerationem cum copioso puris ichorosi effluxu, et quidem talem ut de ipsa ossium carie vix dubium esse posset; imo ipse auditus in hoc latere penitus deletus videbatur; dolores autem erant modici; facies quodammodo oedematosa; os paullulum dextrorsum vergebat, paralysi uti videbatur incipiente genae sinistrae oborta. Aliquando cephalaea et dolor auris sinistrae graviores cum febricula aderant; ceterum sanus in nosocomio obambulabat, neque ulla mentis aderat alienatio. Ulcus in aure sinistra lente proserpebat; post duos autem menses sine ulla causa cognita febris oriebatur gravior, dolores in ulcere insigniter incresebant, quando inopinato post aliquot dies coma oriebatur, e quo tamen evigilari poterat. Simul de tempore in tempus ex aure haemorrhagia satis insignis et pertinax accedebat, sine ullo tamen symptomatum levamine; pedibus insistere non amplius potuit, semper in uno latere immobilis fere decumbens, gravi sopore complexus. Manifesta simul signa emollitionis cerebri prodibant; pedes enim adeo contrahebantur, ut omnes flexores summopere essent tensi. Paralysis genae sinistrae adeo increverat, ut os insigniter dextrorsum traheretur. Nec derivantia, neque fomenta frigida, aliquid hoc in casu praestare poterant; hirudinum applicationem, sanguinis ex aure stillicidium continuum, acgrum insigniter

debilitans prohibere videbatur. Postquam ita per quatuor dies gravi sopore depressus decubuerat, placide exiit.


Cadaveris sectio. In abdomine sana apparuere omnia. Pulmones costis tenaciter accreti, ceterum sani. In aure totus meatus auditorius ulceratione consumtus erat, imo ipsum os petrosum necrosi ita affectum, ut libere moveri posset, parte tantum postica interna, versus partem basilarem adhuc integra. Os temporum tanta carie exesum erat, ut meatus auditorius externus prorsus evanisset, interno pro parte destructo. Nervi auditorii quaedam tantummodo filamenta superesse videbantur; nervi facialis truncus induratus erat, cartilaginis instar, atque prope exitum e canali Fallopiiano fine eroso terminabatur, cartilaginea substantia telae cellulosa induratione formata, cinctus, ita ut omnis communicatio cum faciei ramis destructa esset, unde paralysis faciei explicanda videtur. In cerebro arachnitidis vestigia manifesta, cum exsudatione usque ad hemisphaeriorum superficiem se extendens; lobus vero sinister inferior, durae meningi fibrillarum ope accretus, cavum continebat pure ichoroso impletum, cujus margines fusci gangraenosi videbantur, fere duorum pollicum diametri; imo totus hicce lobus insignem affectionem praegressam, colore ex griseo coerulescente monstrabat, qui color eadem ratione per durae meningis partem affinem dispersus erat; ceterum arachnoidea ad cerebri crura, pontem Varolii, ipsamque medullam oblongatam, insigniter erat incrassata, flava et fere sub purulento sero tumens. *)

*) Hic casus legitur in Dissert. Doct. *Quarin Willemier: Spec. anut. path. de Otorrhoea.* Tr. a. Rh. 1835. p. 24.



PARS ALTERA.

Otorrhoeae pathologia.



§ 1.

Inter aurium morbos, quibus homines saepius afficiuntur, principem certe sibi vindicat locum Otorrhoea; quo nomine significatur chronicum effluvium, cujusvis naturae, e meatu auditorio. Oritur ille fluxus ex inflammatione cujuscumque auditûs organi partis, sive illa, initio acuta, dein in chronicum statum abeat, sive ab initio chronicum teneat decursum. Plerisque in casibus tamquam consecarium habendum est myringitidis chronicae, uti dein videbimus.

Variant igitur eam ob causam symptomata, quae otorrhoeam praecedere ac comitare solent. Neque fluidum ipsum, quod secernitur, semper eadem praebet criteria. Est illud enim vel aquosum, limpidum, vel viscosum, mucosum, purulentum, ichorosum,

sanguinolentum; colorem refert vulgo flavidum, viridescentem, rarius albidum, rubescentem, nigrum. In initio morbi, imprimis si e catarrhali causa otorrhoea proficiscitur, verus mucus secerni solet (*phlegmatorrhoea* a cl. Beck quae dicitur) sed nisi cito tollatur pathica affectio, in alteram transit morbi speciem, purulentam (*pyorrhoea* vocata). In initio morbi odore aut nullo, aut quodammodo dulci, mellis instar, gaudet illud effluvium; dum si diutius jam perduravit, fluidum non raro foetorem spargit ammoniacalem et ingratisimum. Differentiam illam autem non tanti momenti habendam censeo, quanti nonnulli auctores existiment, qui exinde distinctionem otorrhoeae fecerunt in quasdam species, scilicet otorrhoeam serosam, mucosam, sanguinolentam, purulentam. Etenim quemadmodum in praxi difficile non raro est determinatum pus aut mucus secernatur, — et insuper color, odor aliaque criteria effluvi, in uno eodemque casu saepe quammaxime variant, imo una species cum altera alternans observatur, exinde profecto certa diagnostica et prognostica signa deduci nequeunt *). Puru-

*) Eandem hac de re sententiam tenet Doct. Wilde, dicens: „In einem und denselben Falle kann der Character des Ohrenflusses mehrmals in 1 Monate wechseln, je nach der Heftigkeit der Entzündung. Anf den Geruch und die Farbe, als diagnostische Hilfsmittel, haben manche Schriftsteller Viel gegeben. So weit meine Erfahrung in dieser Krankheit reicht, finde ich beides mit den in den Büchern niedergelegten Regeln nicht übereinstimmend. Den obwohl der Ausfluss gewöhnlich schwärzlich und stinkend ist, wenn Knochenfrass besteht, so habe ich doch viele Fälle gesehen in welchen diese Zeichen vorhanden waren, ohne dass der Knochen ergriffen war, und besonders wenn das Trommelfell sich durchbohrt fand; jedoch können sie auch ohne diese Zerstörung vorkommen.“ (Cl. W. R. Wilde, *Ueber die Ursachen und die Behandlung des Ohrenflusses*; in Schmalz's *Beiträge zur Gehör. u. Sprach-Heilk.* Leipz. 1846 Heft II S. 87).

lentam otorrhoeam semper cum carie ossis petrosi conjunctam esse celeb. Itard primus statuit *) Quam tamen opinionem non ad omnes quotquot observentur casus, esse applicandam, certo statuere auderem: — etenim ipse ante nonnullos dies feminam vidi, e cujus auribus per tres vel quatuor hebdomades effluerat verum pus; quae suppuratio erat exitus otitidis externae, sic dictae *phlegmonosae*. Si forsan objicias, hoc in casu non existere *chronicam* otorrhoeam, de qua sermonem fecit Itard, responderem ex acuta saepius chronicam oriri. Plures insuper vidi homines, a tenerrima aetate otorrhoea laborantes, e quorum auribus humor effluebat omnes puris ichorosi praebens characteres, dum tamen illi aegroti debita adhibita cura, tam cito ab illo malo fuerant liberati, ut de ipsa ossium carie haud dubium esse potuerit; quod nonnullis casibus relatis satis probatur.

Saunders †) divisionem morbi decursus proposuit in stadium purulentum, fungosum vel polyposum, et cariosum; quam tamen Cl. Beck §) me iudice jure merito, minus accuratam credidit: Otorrhoeam etenim exstare posse sine carie ac polyporum praesentia,

*) Cf. Itard, *Traité des maladies de l'oreille et de l'audition*. Paris 1821 p. 211.

Etiam doct. Vering eandem sententiam protulit. „Bei jedem eitrigen Ohrenfluss“ inquit „ist Beifress des Gehörwerkzeuges mit im Spiele, welcher von seinen gewöhnlichen Sitz, den Zellen des Zitsenfortsatzes, bis in die Wesenheit des Felsenbeines sich erstreckt; zuweilen aber ist ein eiteriger Ohrenfluss durch Beifress des Schnuppenheils vom Schlafbein, durch Vereiterung in der Schädelhöhle veranlasst.“ (*Aphorismen über Ohrenkrankheiten*. Wien. 1842 S. 22).

†) Cf. J. C. Saunders, *anatomy of the human ear, with a treatise on the diseases of this organ*. 3 Ed., Lond. 1817. p. 34.

§) Beck, *Die Krankh. d. Gehörorgans*. Heidelb. u. Leipz. S. 158.

satis notum est, et jam e paucis, quos retuli casibus, insuper patet. Quamvis ergo saepe cum his complicata, non necessario illud obtinere debere, existimetur.

Saepeius ambae aures hoc morbo corripiuntur; imo multis in casibus, quibus aegri tantummodo de una aure querelas faciunt, accuratiore examine tamen invenies in altera accumulata materiem purulentam, quae ad crustas exaruit flavo-fuscas, cerumini accumulato haud dissimiles. *) Crustis illis remotis, tympani membrana pure oblecta non raro cernitur, inflammata, aut saepeius jam degenerata, sive destructa.

§ 2.

Ex dictis sequitur, otorrhoeam non adeo ut morbum ipsum, sed tantum ut morbi symptoma esse habendam. Quae pathica af-

*) Praecl. Deleau se chronicam myringitidem — et haec est pathica affectio, qua otorrhoea saepissime producitur — saepe cum accumulatione ceruminis complicatam vidiisse, testatur; quod tamen assertum propter nonnullos, quos ipse vidi casus, in dubium vocarem, et majori profecto jure, quum etiam Doct. Kramer (*Beiträge zur Ohrenheilk.* Berlin 1845 S. 49) contrariam protulit sententiam: „Ich habe“ inquit „bei 397 Fällen von chronischer Entzündung des Trommelfells, und 213 Fällen von krankhafter Absonderung und Anhäufung von Ohrenschmalz, Beides niemals in einem Ohre vereinigt gefunden.“

fectio vel in iis, quae auditûs organon circumdant, partibus haeret (*Otorrhoea symptomatica* ab auctoribus denominata) vel sita est in aure ipsa (*Otorrhoea idiopathica*), ac quidem aut in meatu auditorio et quae illum a tympani cavitate sejungit membrana (*Otorrhoea externa*), aut in ea cavitate et internis auris partibus ipsis (*Otorrhoea interna*). Uti jam dictum, illa affectio consistit in inflammatione chronica, quae tamen aliquando acutam sequitur et in diversis haerere potest auris partibus; et hinc jam intelligitur, symptomata, quae auris effluvium praecedunt et concomitant, maxime inter se differre; id, quod observationes satis quoque comprobant.

Si oriatur fluxus e myringitide acutâ, dolores praecedunt nonnumquam vehementes, qui omnes characteres offerunt otalgiae *). Frequenter illa in chronicam tendit conditionem: dolores nunc penitus cessant, vel in pruritus molestum transeunt, qui otorrhoeam saepius continuo concomitatur. Plerisque in casibus ex myringitide ab initio inde chronice decurrente §) inopinato effluvium

*) Cf. W. Kramer, *Die Erkenntniss u. Heilung der Ohrenkrankheiten* 1849 p. 321 Beobacht. LIII—LXIII.

§) Doct. Swaagman mecum communicavit, inter 150 et quot excurrit observationes otorrhoeam spectantes, se vidisse 54, quibus tympani membrana prima et princeps sedes fuerat, dum in 63, quibus morbus jam diu duraverat, certo dici hand posset num morbus in illa membrana ipsâ, aut in meatu auditoriâ, aut in tympani cavo fuerit exortus. Quamobrem ille credit otorrhoecae causam saepius quaerendam esse in chronica myringitide, quam in otitide sic dicta vera, aut externa, aut interna. Experienciâ melius edoctus, illa igitur revocat, quae scripsit in Encheiridio, quod belgico sermone, transtulit: Frank's *Handb. d. Oorheelk.* p. 416. — Doct. W. Kramer se saepius adhuc causam otorrhoecae in tympani membrana invenisse testatur: „Die Entzündung der drüsigen Haut“ inquit „tritt zu $\frac{1}{40}$, die Entzündung der Zellhaut zu $\frac{1}{22}$ und die Entzündung der Kno-

oritur, dum pathica affectio, quae illum producebat, raro antea artis auxilio fuit tradita.

Myringitis chronica saepissime occurrit *). Est morbus quem in initio vix ullus dolor aut aliud subjectivum et molestum symptoma comitatur, si excipias dolores, qui ex causa accidentali, in specie ex aëris frigidi et humidi afflatu ad myringem, per intervalla, veluti in otalgia, oriri possint. Quamobrem non mirandum est, nonnullos statuisse auctores: otorrhoeam imprimis

chenhaut zu $\frac{1}{218}$ auf." [Inter 2000 casus nempe aurium morbos spectantes, observavit vir doct. 51 quibus in tela, ut dicitur, mucosa, 9 quibus in tela subcutanea, et 8 quibus in periosteo, meatum auditorium externum investientibus, haerebat inflammatio] „Alle Drei" ita ille pergit „sind mit Ohrenfluss verbunden, verhalten sich aber zusammen genommen (68) zu den sonst mit Ohrenfluss auftretenden Krankheiten des äussern Ohres (510) = 1 : 7; so dass der Ohrenfluss in 7 Fällen nur 1 mal in den Häuten des Gehörganges seine Quelle hat. Die Krankheiten des zarten Trommelfelles machen beinahe den vierten Theil aller Ohrenkrankheiten aus, übersteigen die Krankheitsfälle aller Häute des Gehörganges zusammen beinahe um das Doppelte und sind zu $\frac{6}{7}$ die Quelle aller Ohrenflüsse." (Cf. W. Kramer: *Beiträge zur Ohrenheilkunde*. Berl. 1845 S. 12—13)

Quam opinionem eo magis attentione dignam censeo, quum I t a r d in suo opere jam citato nec de acuta, neque de chronica myringitide, tamquam de morbo idiopathico, loquitur. Rarius quidem inflammatio ad hanc membranam limitatur, saepiusque proserpit ad illas quae meatum aut tympanum obvestiunt; attamen multis aliis in casibus facile et certo pronuntiari potest num principem habeat sedem inflammatio in myringe, num in aliis partibus.

*) Inter 442 casus, quibus inflammatam myringem vidit Doct. K r a m e r, 397 obveniebant, quibus myringitis inde ab initio chronicum tenebat decursum (Cf. Kramer: *Beiträge zur Ohrenheilk.* Tab. I)

infantili aetate saepius nasci sine praegressa inflammatione; id, quod tamen omnino negandum censeo: ipse quoque plures vidi infantes otorrhea laborantes, quibus ne levissimum symptoma otitidis existere videbatur; attamen adhibito speculo auris, meatum auditorium et imprimis tympani membranam talibus in casibus semper perspicuo inflammatos inveni. Quod etiam Celeb. Wilde se observasse testatur, his verbis: »Oft fängt »ein Laufen“ aus dem aussern Gehörgang ohne das geringste vorhergehendes Warningszeichen an, indem die auskleidende Haut jenes Ganges sich unmerklich aus einer Hautfläche in eine schleimabsondernde verwandelt, wie wohl ich glaube, dass wenn man den Gang zu jener Zeit sorgfältig untersuchte, der Ohrenfluss sich als das Resultat einer leichten und schmerzlozen Entzündung dieses Theiles erweisen würde“ *)

Si ex inflammatione meatûs auditorii acutâ sequitur effluviûm, praecedere solent, praeter rubor, calor et tumor magis minusve perspicuus, dolores vulgo satis graves, qui illud habent sibi proprium, ut loquendo, masticando et quocumque alio mandibuli inferioris motu, valde augentur. Ubi phlogosis magno gradu existit, eam vehementissimi dolores ac solita febris inflammatoriae signa comitantur, dum auricula et gena lateris affecti rubescunt, tumescunt et calescunt, et oculi prominent sanguine injecti §). Symptomata quibus aeger, otitide interna acuta laborans, cruciatur, non minus vehementia esse solent, quod imprimis quoque de doloribus valet. Quae tamen otitidem chronicam, aut internam, aut

*) Cf. *Practische Beobachtungen über Ohren-Heilkunde und die Natur und Behandlung der Krankheiten des Ohres*, von W. R. Wilde, Aus dem Engl. v. Dr. Ernst von Haselborg. Göttingen 1855. S. 452, 453.

§) Cf. Voorhorst, *Specimen medicum inaug. exhibens nonnulla de Neuralgia Otica*. Groningae. 1851 p 11.

externam comitantur multo minus furibunda sunt. Licet igitur tam dolores, quam cetera quae otorrhoeam praecedere solent symptomata quammaxime differre possint, tamen in genere illa vix percipiuntur (nisi imminutam audiendi facultatem excipias) ita ut primum, quod observatur, signum pathicum ipsum sit effluvium.

Alterum symptoma otorrhoeae, quod jam verbo monui, est audiendi mutata facultas. Fere semper auditus est imminutus, imo penitus esse potest deletus, uti casus relati satis demonstrant. Auctores quidem hac in re non consentiunt; et profecto negari nequit, apud per multos otorrhoeam laborantes infantes solitis sub conditionibus auditum perditum non observari. Instituto autem examine accuratiore, acumetri scilicet ope, raro sane auditum intactum invenies, ut opinor. Interdum surditas fere primum morbi symptoma est, saepius autem serius demum, provento jam morbo, oritur. E duobus diversis fontibus originem trahere potest, nempe ex impedita transmissione sonorum ad nervos, vel ex imminuta ipsorum perceptione, quod recte observat doct. Willemier *).

Casus, quibus otorrhoeam concomitatur oxycoia (i. e. acutior auditus) ad rariores pertinent; licet interdum fiat, quod aeger inito effluvio multo melius audiat, quam antea quum effluvium nondum exstiterat, vel erat suppressum.

Si diutius jam perduraverit morbus, raro hallucinationes auditus, tinnitus aut susurrus aurium, plane abesse solent.

*) Cf. *Quarin Willemier, Diss. cit.* p. 51—52.

§ 3.

Symptomata objectiva non minus differunt ex causis, quam ex sede pathicae affectionis. Quae ut rite dignoscantur, explorationem auris affectae, tam internae quam externae, nequaquam negligendam esse, vix opus est ut moneam. Primo igitur meatum auditorium, et quae illum ab aure media sejungit myringem, sedulo inspicere et accurate examinare oportet; quam in finem prius semper fere requiruntur injectiones ex aqua tepida, ut amoveantur materiae purulentae aliaeque, in meatu auditorio accumulatae.

Si meatus ille valde inflammatus et tumefactus est, quod tamen raro fit, ejus et membranae tympani exploratio sine speculo, si posset, fiat, et si haec explorationis methodus ad diagnosin non sufficiat, prius otitis illa externa curanda est, ut dein inspiciantur partes profundius sitae. Si levis tantum sit inflammatio, prudenti manu quidem speculum applicare licitum est; numquam vero fortiter dilatari debet meatus speculis illis, quae duobus aut tribus constant brachiis.

Recentioribus otorrhoeae in casibus meatus auditorius vulgo modice ruber cernitur. Ceruminis secretio penitus est suppressa, et quae nonnumquam, cerumini haud dissimiles, in meatu inveniuntur materiae, a fluido quod secernitur ipso exarido et alienis commixto, uti jam dictum (§ 1) sunt repetendae. Ubi tamen effluvium diutius jam existebat, meatus, licet minus ruber, tumidus et non raro cuticulâ albidâ, lymphae plasticæ haud dissimili, obtectus cernitur, polyposam aut fungosam referens superficiem; et adhaerens non raro tumor fibrosus (polypus) adauget fluxum. Est autem membrana tympani quae prae aliis et primarie a norma deflectit. In initio morbi cernitur valde rubra et

vasculis injecta quae, imprimis juxta manubrium mallei, forma striarum decurrunt; deinceps adiphana et crassa offenditur, ita ut trans illam non amplius manubrium mallei distinguere liceat; plerisque in casibus tota ejus superficies granulis, veluti carnosus, oblecta cernitur, quo habitum acquirit ulceris in stadio incarnationis versantis fundo haud dissimilem, quem Frank *) non sine jure comparavit cum eo conjunctivae *panno* affectae. Quodque membrana tali modo mutata non amplius istas, quae in conditione sana conspiciere licet, proëminentias et depressiones ostendit, facile intelligitur. Quae dicta sunt, valent de otorrhoea externa.

§ 4.

Saepe pathica affectio, de qua hucusque sermo fuit, ad tympani cavitatem, erosâ hujus membranâ, proserpit; tuncque externa otorrhoea cum interna conjungitur. Nonnumquam autem, licet rarioribus in casibus, inflammatio et exinde nata suppuratio sponte quoque in aure media originem ceperunt; quo casu, uti facile intellectu, pus e meatu effluere nequit, nisi foramine perfossa sit membrana tympani. Etiam inverso modo inflammatio ad meatum auditorium vulgo progreditur. Licet igitur otorrhoea interna multis in casibus, quibus morbus aliquamdiu perduravit, cum externa conjuncta observetur, exinde tamen non minus necessariam esse censeo distinctionem otorrhoeae in illas species, quales statuit doct.

*) Cf. Frank, *Handb. d. oorheilkunde*. Gron. 1847. bl. 416.

J. van der Hoeven *). Etenim et sensu prognostico et therapeutico magni momenti semper est quaestio an otorrhoea externa cum interna sit complicata, nec ne; porro, si exstet talis complicatio, num auris interna aut externa pars tum princeps ac primaria fuerit morbi sedes.

Credere liceret, illudque eo magis, quia nonnulli auctores id statuerunt, myringis perforatione audiendi facultatem in tali casu reddi difficiliorem, quam ante perforationem. Experientia tamen quotidie docuit illam opinionem falsam; imo baryecioiam saepius normali fieri multo acutiorem ex membrana hujus ruptura satis notum est: quod partim adscribendum videtur depletioni cavitatis tympani a materia purulenta in ea antea contenta, partim illi causae, quod nunc undulatorii soni per foramen ad labyrinthum melius transmittuntur, quam si ipsa myringis structura adeo est mutata, uti in chronica inflammatione locum habere solet. Quamobrem multi quoque otorrhoea laborantes in illa aure acutiori vulgo gaudent audiendi facultate, cujus membrana tympani perfossa est, quam in alterâ, cujus myrinx structura quidem mutata est, nondum tamen perforata. Errare autem illos crederem, qui statuerunt, saepius ex ruptura myringis nullum damnum passam esse audiendi facultatem: e contrario forsitan semper in ejusmodi casu imminuta erit illa facultas, si rite et accuratius hanc in rem instituat examina.

Ut igitur respondeatur ad questionem num effluvium proveniat e tympani cavitate, explorare oportet myringem; quae, si non perforata est, otorrhoea proficiscitur ex aure externa.

Si tympani membrana satis magno foramine perfossa est, facile illud, speculo adhibito, discernitur. Perforatâ vero membrana exili tantum foramine, auris exploratio speculi ope saepe non suf-

*) Cf. *Diss. path. inaug. de morbis aurium auditusque*. Lugd. Bat. 1824, p. 13.

scit. Tali in casu aeger post fortem inspirationem, ore clauso naribusque compressis, aërem expirare conetur *). Ruptâ myringæ, aër, in hoc experimento, per foramen ac meatum extruditur, peculiarem excitans sonum (diversum prouti apertura sit magna, aut parva, et num tympani cavo fluidum contineatur, necne) et ingratissimum saepe spargens odorem. Fluida e contrario, in meatum externum injecta, per tubam Eustachianam in pharyngem defluunt, ac non raro, cum pure foetido ex aure mediâ commixta, saporem excitant ingratissimum. Adde, hasce injectiones in tali casu semper prudentissima manu applicari debere, ne gravia oriantur symptomata: animi deliquium, convulsiones cet.

Licet facile igitur detegi possit num otorrhoea externa simul cum interna conjuncta sit nec ne, difficilius tamen est determinatu, num morbus originem duxerit ex auris partibus externis aut ex internis. Ex anamnesi vero ad diagnosin non raro ducimus. Etenim si primariam sedem habuerit inflammatio in tympani cavo — quod, uti jam dictum, rarius profecto fit — mucosa quæ pharyngem obvestit membrana simul inflammata cernitur; aeger, antequam illud percipiebat effluviu, jam diu vulgo vehementibus excruciatu fuerat doloribus et auditu penitus amiserat. Narrat insuper se inopinato percipisse ictu sonantem, quem effluviu inde secutum est, dum ex illo tempore dolores desinisse ac audiendi facultatem rediisse addit. Quæ meatum auditorium investit membrana insuper in tali casu non mutata cernitur, nisi diutius jam duraverit otorrhoea.

*) Hæc explorationis methodus nominò „*experimentum Val-salvæ*” satis nota est,

§ 5.

Myringe magna pro parte exulceratâ, vulgo auditûs ossicula¹, nexu suo solutis, cum pure ex auditorio meatu egrediuntur. Quod imprimis valet de malleo simul cum incude, rarius de stapede. Malleus, imo simul incus, abesse possunt, absque ut exinde plenaria auditûs abolitio oriatur: stapede autem amisso insana-bilis surditas insequitur; quod jam Morgagnio non innotum fuisse videtur *). Si ergo Vering assertit: „Die bei einem Ohrenfluss erfolgende Verlust der Gehörknöchelchen zieht unheilbare Taubheit nach sich“ §) — virum hunc expert. de amissione *omnium* ossiculorum scripsisse censeo.

Multi auctores opinati sunt, otorrhoeam, imprimis purulentam, non diu exsistere posse, nisi ex ea caries oriatur †). Quod quidem vix

*) „Haec velim“ inquit „tum de ossiculis, tum de membrana tympani animadvertas, si in hujus perruptiones stapes excidat, non tam tympanum dumtaxat, sed et mollissimas labyrinthi membranulas per aperturam sic fenestram ovalem injuriis patere; itaque ab nemine, cui stapes totus excidisset auditum diu conservatum legisse memini.“ Cf. *Epistolae Anat. Med.* XIV Art. 10.

§) Cf. Vering *Aphorismen*. S. 23, 24.

†) Doct. Kramer se 6 casus observasse testatur, quibus e chronica myringitide caries erat exorta; et addit: „Was ich bis jetzt an eigenen und fremden Erfahrungen über die lebensgefährliche Entzündung der Knochenhaut der Trommelhöhle gesammelt habe, be-rechtigt mich zu der Ansicht, dass sie immer nur als Folgekrankheit chronischer Entzündung des Trommelfells, niemals als ein idi-

mirandum videtur (quamquam observationes a me ipso factae nullomodo pro illa opinione militant) si animadvertas tenuitatem membranarum, quae tympani cavum investiant. Illam cariem primo ad cellulas mastoïdeas proserpere scripserunt, quo facto, quum per eas pus sibi viam parare conetur, apophysis ejusdem nominis nonnumquam, cribri instar, eroderetur. Aeger diu in tali casu doloribus cruciatus gravioribus, pone aurem tumorem percipit, pressurâ valde dolentem. Quae illum obtegit cutis rubescit, dein fuscum aut coeruleum exhibet colorem, et extenuatur, donec tandem disrumpitur, ut ichori conciliaret exitum. Quo facto cariosa saepe ossis pars extruditur et sanatio sequitur. Non raro tamen observatum est, saniam, si cutis in apophyseos mastoïdeae regione non disrupta sit nec arte aperta, in telam cellulosa effundi, ad nucham, dorsum, imo et juxta musculum sterno-cleido-mastoïdeum ad claviculam descendentem, hic abscessus per congestionem, uti dicuntur, formare, imo in ipsum thoracis cavum penetrare, ibique empyema formare, cujus rei exemplum offert Casus XV, a doct. Quarin "Willemier relatus *) Insuper non solum totam apophysin mastoïde-

opathisches acuten Leiden auftritt, wenn nicht etwa mechanische Verletzungen geradezu die Knochenhaut der Trommelhöhle treffen.

„Als secundäres, mit langwierigen Ohrenflüssen verbundenes Leiden würde man die in Rede stehende Krankheit auch in der gewöhnlichen Praxis nicht ganz selten sehen, wenn nicht der tödtliche Ausgang gewöhnlich unter den Erscheinungen einer sogenannten Nervenfiebers, mit Delirien, Sopor und dgl. einträte, die ursprüngliche, das Hirnleiden einleitende Ohrenkrankheit, den alten Ohrenfluss ganz vergessen machte, so dass er selbst bei den Section nicht die rechte Würdigung erhält“ (Cf. Kramer, *Beiträge zur Ohrenheilk.* S. 17, 18).

*) Cf. Quarin-Willemier, *Diss. cit.* p. 43—47.

am §) verum etiam aliorum cranii ossium magnas partes penitus excidisse observarunt. Cujus rei inter alios doct. Riedel exemplum commemorat, a Cl. Busch observatum †).

§ 6.

Otorrhoea purulenta nonnumquam conjuncta observatur cum cerebri suppuratione; eamque aut istius suppurationis primariam affectionem esse posse, auctores contendunt; aut cerebrum secundarie affectum iri ex otitide et exinde nata ossis petrosi carie. Nominarunt hanc otorrhoeae speciem *cerebralem* et prouti primaria suppurationis sedes haereat in cerebro, aut in auditus organo, distinxerunt in otorrhoeam *cerebralem primitivam* (cerebro scilicet primarie affecto) et *consecutivam* (si nempe otorrhoeam cerebri suppuratione sequitur.)

Quodad symptomata, ambas affectiones concomitantia, animadvertendum, otorrhoeae cerebrali primitivae praecedere omnia, quae cerebri suppurationem indicent: gravis scilicet cephalalgia, tensionis sensus in orbitis, convulsiones et paralyses, imprimis musculorum faciei, perturbatio facultatum intellectus, somnolentia aut agrypnia cet.; interdum otalgia, aurium susurrus et surditas; quae omnia exorienti effluvio vulgo imminuuntur. In altera otorrhoeae specie eadem

§) Cf. Wilde, in Schmalz's *Beiträge zur Gehör- und Sprach-Heilkunde*. Heft. II. S. 56.

†) Cf. Riedel, *Ueber die Krankheiten des Ohrs und Gehörs*, Leipzig 1832 p. 98.

observantur symptomata, contraria autem ratione sibi sequentia: praecedunt scilicet per majus aut minus temporis spatium symptomata auris affectionem concomitantia, quibus serius accedunt cerebraalia supra dicta. Ad haec posteriora imprimis, in otorrhoea semper mali ominis, attendat Medicus.

Negârunt quidem antea nonnulli communicationem talibus in casibus existere inter aurem et cerebrum; inter quos nominandus *Du verney*.*) qui quoque, strenue hanc sententiam defendens, refert observationem, quae probat non semper sane post aurium fluxus suppressos mortem subitam ex hac causa esse deducendam †).

Nemo autem nunc dubitat ex otitide suppurationem oriri posse, quae tandem destruit labyrinthum et tympani parietes, et ex osse petroso, ad cerebrum se extendit; neque difficile esset omnia, quae *Du verney* attulit argumenta, refutare. Quod tamen minoris esset negotii, quia experientia hanc sententiam satis comprobavit.

*) Cf. *Tractatus de organo auditus, continens structuram, usum et morbos omnium auris partium*. 1684. p. 35.

†) „Vir 65 annorum, corporis habitu admodum repleto et sanguineo, suppurationem satis notabilem per aures passus est, imprimis autem per aurem dextram, spatio 25 annorum, quamvis alioquin optime haberet; materia profluens foetida erat et satis spissa. Suppuratio haec, cum esset suppressa, mortuus est ex apoplexia spatio 24 horarum. Ego quidem cranium aperui et cum magna cura examinavi omnes cerebri partes, quae os petrosum spectant; inveni autem omnes perfecte sanas et os ipsum in statu suo naturali, nec serositates ullibi inveni, nisi in ventriculis et anfractibus cerebri et eas quidem a materia, quae ex auribus profluxerat, valde differentes. Aperui etiam complurium infantum aures, interim numquam, neque in cerebro, neque in osse petroso, inventam ullam pravam dispositionem.” Cf. *Du verney*, l. c. p. 36.

Majori tamen jure dubitandum videtur, num pus revera ex cerebri affectione primaria viam sibi parare possit per duram petrosi ossis substantiam, antequam morbus primarius mortem attulit; idque eo magis, quum multae observationes hac de re commemoratae, satis accuratâ indagatione careant. Doct. Kramer omnes casus, huc pertinentes, quos Lieutaud, Morgagni, Sabatier, O'Brien, Brodie, Parkinson, Itard, Quarin-Willemier, Albers, Le Blanc, Hoffmann, Toulmouche, Abercrombie, Richter cet. retulerunt, recensuit, et ex illa critica disquisitione hoc tulit judicium:

» So viel" inquit »geht wenigstens aus allem diesem hervor, dass über die primaire oder secondaire Natur der innerhalb der Schädelhöhle einerseits und im Gehörorgane andererseits beobachtete Krankheitserscheinungen niemals ein entscheidendes Urtheil möglich ist, wenn nicht sogleich beim ersten Auftreten derselben das Gehörorgan sorgfältigst untersucht, und die wahre Aufeinanderfolge der beiderseitigen Erscheinungen festgestellt worden ist. In dieser Weise hat man aber niemals die betreffenden Krankheitsfälle beobachtet, so dass ich glaube, ganz in meinem Rechte zu sein, wenn ich behaupte, dass die Uebertragung primärer Entzündung des Gehirnes und seiner Haute auf das benachbarte Gehörorgan, oder gar der Durchbruch primair innerhalb der Schädelhöhle aufgetretener Eiterbildung durch das Gehörorgan, bis jetzt niemals auf zuverlässige Weise beobachtet worden, *otorrhoea cerebialis primaria* somit thatsächlich noch nicht nachgewiesen worden ist."

» Anders verhält es sich mit der *otorrhoea cerebialis consecutiva* (oder kurzweg *otorrhoea cerebialis*, da eine *primaria* offenbar nur in der Theorie vorhanden ist)... Immer gehört derselbe aber zu den pathologischen Seltenheiten *) Similem de *otorrhoea cerebali*

*) Cf. Kramer, *Beitr. zur Ohrenheilk.* S. 308—309.

primaria sententiam protulit expert. Wilde *) qui dubia quoque movet contra casum a doct. Corrigan commemoratum.

§ 7.

Causam proximam otorrhoeae semper consistere in inflammatione, acquidem saepius in chronica ea myringis, rarius in ea pori acustici externi, rariusque in otitide interna, jam diximus.

Remotae causae sunt variae. Inter disponentes primum occupat locum diathesis scrofulosa, et cuivis medico notum est quoties infantes scrofulosi, imprimis dentitionis periodo, otorrhoea laborent. Inflammatio, cujus sequela aurium fluxus est, aut sponte in meatu auditorio vel tympani membrana prodit, aut ex exanthematibus proficiscitur scrofulosis, scil. e crusta lactea, tinea capitis, psora, herpete cet., per aurem ad meatum proserpentibus. Etiam syphilitidem nonnulli auctores inter otorrhoeae causas retulerunt, quod tamen alios, inter quos sufficet nominasse Kramer †) Frank §) Wilde **) cet., jure refutasse censeo; neque exsistere videntur casus, qui pro hac sententia militant. Inter causas occasionales quammaxime referri oportet tempestas humida ac frigida; et plane

*) Cf. Schmalz, *Beitr. z. Gehör- und Sprach-Heilk.* Heft II S. 74, 75.

†) Cf. W. Kramer, *Die Erkenntniss u. Heilung der Ohrenkrankheiten.*

§) Cf. M. Frank, *Handb. der Oorheilkunde*, vert. door A. H. Swaagman. p. 360.

**) Cf. Wilde, in Schmalz's *Beiträge*. S. 69.

consentiendum mihi videtur cum doct. Hubert-Valleroux, dicente: » La cause déterminante la plus ordinaire de l'otorrhée est le refroidissement, soit qu'il porte sur tout le corps, ou seulement sur les oreilles" *). Monendum tamen apud infantes scrofulosos aurium fluxum valde quoque incitari aère calido, aestatis tempore.

Saepius etiam otorrhoeam producunt febres exanthematicae, praesertim scarlatinosa; et postremis imo diebus mihi 4 videre licuit homines, otorrhoea ex illo morbo affectos, quorum membranae tympani erant erosae: — qua occasione vir doct. Swaagman, qui illos tractabat, mihi asseruit, iis in casibus, quibus otorrhoea e scarlatina fuerat orta, se fere semper invenisse myringem disruptam. An otorrhoea hic forsitan derivanda ex inflammatione faucium, ex angina scilicet scarlatinosa, quae per tubam Eustachianam ad tympani cavum se extendit? Verisimilem quidem habeo hanc opinionem, certam autem illam affirmare vix ausim. Monendum autem, non in quocumque casu otorrhoeae perforatam inventam fuisse myringem, uti satis patet ex observationibus a Schmalz relatis †). Addo alios alio modo hoc in casu originem otorrhoeae explicasse, inter quos doct. Wilde, dicens: » Die während oder nach dem Scharlach auftretende Erkrankung des Ohres kommt auf zweierlei Weise vor, entweder geradezu als Entzündung des Gehörganges und Trommelfelles, wahrscheinlich in Folge der in das Ohr hinein sich fortsetzenden Entzündung der äussern Haut, welche eine schleimige Aussonderung in einer Fistelhöhle erregt,

*) Cf. Hubert-Valleroux, *Essai pratique et théorique sur les maladies de l'oreille*. Par. 1846. pag. 266.

†) Cf. Schmalz, *Erfahrungen über die Krankheiten des Gehörs*. Leipz. 1846 Beobacht. XII—LII.

während sich der übrige Körper abschuppt; oder aber in Folge von Abscessen in dem Nacken und um den Gehörgang und die Ohrmuschel herum, die sich in den knorpeligen oder faserigen Theil des Kanales öffnen und dort wegen des kranken Zustandes dieses Theiles einen Ohrenfluss hervorrufen, und, nachdem sie selbst geheilt sind, unterhalten." *) Etiam ex erysipelate vero faciei, ex morbillis ac variolis, se ad acusticum porum extendentibus, non raro provocari otorrhoeam, nemo amplius in dubium vocat.

Porro inter causas occasionales imprimis quoque referenda censeo omnia, quae congestionem sanguinis ad caput promoveant, scilicet spirituosorum abusus, tegumenta capitis nimis calida, alvi obstructio cet.

Nonnumquam, licet rarius, corpora aliena in meatum introducta inflammationem et exinde otorrhoeam provocarunt. Nonnulli auctores quoque ceruminis in meatu auditorio accumulationem primariam causam otorrhoeae accusaverunt; de quo autem dubitare mihi liceat, quia ceruminis secretio semper penitus est suppressa. Materiam quam nonnulli accumulatae se invenisse testantur in meatu, non fuisse cerumen censeo, sed fluidum, quod secernitur, viscidum, in meatu remansum et ad flavas istas crustas exsiccatum, de quibus jam dixi.

Nonnumquam causam primariam non in ipsa aure haerere, sed in partibus illam circumjacentibus, glandula scilicet parotidea, pharynge, tonsillis et palato molli, jam dixi, quamobrem ut semper accurata exploratio omnium harum partium requiratur, vix opus erit ut moneam.

*) Cf. Wilde, in Schmalz's *Beiträge*. S. 69.

§ 8.

Prognosis pathicae de qua agimus affectionis eo infaustior redditur, quo diutius morbus existit. Si ab initio inde debite tractatur, sanatio, immuni vulgo auditu, cito sequitur, iis saltem in casibus, quibus inflammatio, uti solet, in membranis quae meatum auditorium obvestiunt aut in tympani membrana haereat. Infaustam semper prognosin esse ubi fluxus e periostitide fuit ortus, et infaustiore si effectus est internae, quam si externae otitidis, facile intelligitur.

Si autem diutius perduraverit otorrhoea, semper eam invenimus complicatam aut cum myringis et meatûs auditorii desorganisatione granulosa, vel polyposa, aut cum earum partium intumescencia, aut cum destructione vel perforatione membranae tympani, cet. *); quas omnes morbosas affectiones nonnulli auctores causas, alii effectus otorrhoeae esse existimârunt. Sunt autem, me judice, complicationes, ex eadem causa, scilicet inflammatione, profectae, quae otorrhoeam produxerat ac sustinet. In ejusmodi casibus prognosis semper est infausta. Licet enim inflammatio tolli quaeat et granulationes et polypi topicis remediis nonnumquam amoveri possint ac ipsa otorrhoea sanari, semper tamen destructiones remanent adeo graves, ut audiendi facultatis abolitionem sanare haudquaquam Medico contingat.

*) Ex iis, quae doct. K r a m e r (in ejus *Beiträge zur Ohrenheilk.* S. 44—45) monet, satis patet myringitidem chronicam raro decurrere sine degenerationibus, quas supra monui.

Insuper prognosis valde differt ex causa otorrhoeae, uti ex dictis jam deducendum. Otorrhoea sanguinolenta, si inopinato et ex mechanico corporis impetu oritur et symptomatibus affectionem cerebri indicantibus concomitatur, signum malum; metus enim hic existit fracta esse cranii baseos ossa.

§ 9.

Restat ut pauca dicam de curatione morbi.

Prius hic attendendum est ad corporis conditionem. Vidimus otorrhoeam saepissime originem ducere e chronica myringitide. Quumque notum sit, illam affectionem saepius cohaerere cum scrofulosa dyscrasia (quamobrem otorrhoea prae aliis quoque invadit juniores infantes) quivis satis intelliget quantum praebent remedia interna ad curam hujus pathicae affectionis. Si ergo alicujus dyscrasiae signa adsint, non solum remedia topica sufficient, sed imprimis remediis opus est internis. De quibus omnibus speciatim agi longum foret.

Quodam curam topicam, primo loco inquirendum: *an aurium fluxum tollere semper illicitum sit, nec ne?*

Plures Medici putarunt ex *suppressione*, uti ajunt, aurium fluxus facile oriri posse encephali affectiones (in infantibus imprimis acutum Hydrocephalum); imo se talequid saepius observasse testantur. Quamobrem illi ipsi non solum ab omni curandi tentamine plane abstinere, sed et parentes infantum praemonere ne umquam ab aliis topica remedia accipiant.

Inflammatio sibi relicta accrescit ergo et ultro proserpit, do-

nec partes ad auditum maxime necessarias tandem destruxerit et exinde sensim sensimque surditatem induxerit insanabilem, imo mortem provocaverit; dum infelix, si rite atque justo tempore illum tractavisset Medicus, numquam sane ad hunc statum pervenisset.

Omnes profecto Otiatrici testantur se numquam infaustum vidisse effectum ex topica ac prudenter adhibita otorrhoeae cura. Quod assertum eo minus refutandum censeo, quum ipse multis in casibus illam curandi methodum felicissimo eventu applicatam vidi, nec tamen exinde ullum damnum obortum. Scio equidem non raros esse casus, quibus infantes, jam diu otorrhoea laborantes, momento quo illa retinebatur, Hydrocephalo corripiebantur. Tali in casu saepe tamen nihil aliud occidisse puto, nisi quod Hydrocephalo extinctus sit infans otorrhoea laborans; quod vero ad fluxus suppressionem attinet, hancece meningum inflammationi adscribendam esse censeo. Quod si verum, certe quoque non in omni casu, quo oboritur encephali morbus postquam adhibita sunt remedia topica contra otorrhoeam, morbum illum curationi auris affectionis ipsi adscribendam puto. Monendum tamen ut in adhibendis remediis adstringentibus Medicus summam semper observet prudentiam, ne subito supprimatur fluxus *).

Quemadmodum in curandis ulceribus in genere, ita quoque in otorrhoeae cura prae omnibus summa laudanda mundities. Quem in finem optime conducunt injectiones aquae tepidae. Quotidie

*) Cf. S c h m a l z , *Erfahrungen* § 360. Quod supramonui jam Duverneyo notum fuisse videtur. Legitur enim: „Quod ad fluxum attinet materiae serosae, quem nos appellavimus suppurationem, cum ut plurimum absque dolore fiat et impediri vix possit, quin symptomata gravia superveniant, sistendus non est imprudenter” Cf. Duverneyi *Tractatus cit.* p. 37.

adhibendae, dum sensim sensimque aqua minus calida sumatur. Quae injectiones, ut prudentissima manu iis imprimis in casibus sint applicandae, quibus perforata est membrana tympani, jam monui. In ejusmodi casu injectione instituta semper meatus auditorius obturari oportet gossypio; illudque numquam negligendum, si aeger aëri frigido se exponere debeat. Hanc simplicem curandi methodum saepius sufficere ac ne minimum offerre periculum, omnes contendunt †).

Si meatus auditorius valde inflammatus cernitur, optime conducunt sanguinis detractiones, antiphlogistica, imprimis refrigerantia et laxantia, insuper revulsiva; et ad aures ipsam nil nisi cataplasmata emollientia apponuntur. Instillationes quas Schmalz *) in ejusmodi casu commendat, scil. ex solutione acetitis plumbi (gr. I—V ad unc. I aq. destill.) minus indicatas censeo. Jure merito tamen illas laudarunt auctores iis in casibus, quibus phlogoseos signa, rubor scil., calor, dolor et tumor, magna pro parte sint remota et hic acet. plumbi tamquam princeps, cum Schmalz, laudo remedium. Optimum quoque effectum saepius hic vidi exhibitis solutionibus nitratis argenti, nec non jodii. Admonco autem, ut sumantur e mitissimis, ne ex irritan-

†) Cf. Compendia jam citat. a Schmalz, Kramer, Saunders, Frank etc. scripta. „Die inspuitingen” ita Frank i. a. monet „onderdrukken de oorvloeiing niet, evenmin als het wassen van het hoofd met zeepwater de tinea onderdrukt, maar zij genezen haar. Er komt geene oorvloeiing, zoo min eene primaire als secundaire voor, waarbij de (niet overdreven sterke) inspuitingen van laauw water geen gunstigen invloed uitoefenen. Mogt dit eenvoudig middel de plaats vervangen van alle indroppelingen van oliën en geheime middelen, die zoo dikwijls hoogst nadeelig werken en somwijlen zeer kostbaar zijn.” Cf. l. c. p. 373.

*) Cf. Schmalz, *Erfahrungen*. § 370.

tibus augeatur inflammatio, neque ex adstringentibus temere sistatur fluxus; id quod semper periculi plenum.

Multi alia eodem scopo commendata sunt remedia, et quisque auctor suam formulam tamquam optimam laudat. Sufficiet nominasse: myrrham, sulph. zinci, acet. cupri cryst., bals. peruv., fel tauri inspiss., alum. crud., acidum pyro-lignosum, kali causticum sicc., cadmium sulphur., tinct. opii, cet.

Multi Medici in cura otorrhoeae maxime laudarunt revulsiva, imprimis rubefacientia, pustulas formantia, ac fonticulos, aut in nucham, aut pone aures applicata. In iis autem, quos ego vidi casibus, parum tantummodo derivantia juvasse confiteor. Oleosa denique ac pingua in genere plus nocere, quam utilitatem asferre, omnes fere contendunt.

Si fluxus subito supprimitur (quod variis e causis fieri potest) ac exinde cephalalgia oritur, aut facies intumescit, aut gravis oculorum inflammatio proficiscitur, aut symptomata subsequuntur periculosa, convulsiones scil. nihil hirudinibus et cataplasmatibus emollientibus melius. Quo casu imprimis commendarunt panem, recens e fornace desumptum, qui adhuc calidus, ad totum illud capitis latus, cujus fluens est auris, apponatur; demta crusta ea in parte, quae ad tempus applicanda est. Haec applicatio tertia quavis hora renovetur, et tempore cujusvis deligationis injectio in aurem facienda est ex Deuto-chlorureto hydrargyri gr. III in aquae tepidae uncii VIII solutis *).

Si otorrhoea, cujus causa nec in externo acustico poro, neque in tympani cavo, aut quae illud a meatu sejungit membrana de-

*) Cf. Von Willich in *Journ. der pract. Heilk.* herausgeg. von Hufeland, Bd. XXI 2. S. 53. — Itard *Traité* etc. I. p. 223. — J. van der Hoeven *Dissert. cit.* pag. 21 — Frank, *Handb. der Oor-heelk.* bl. 374. cet. —

tegi possit, dolore concomitatur, semper explorari oportet tuba Eustachiana catheteris ope; non raro enim hac in parte tunc morbi causa haeret. Quod non minus indicatum est, si, otorrhoëa sanata immunibus partibus supradictis, audiendi facultas diminuta manet.

In otorrhoea cerebri, vel quae cum carie conjuncta est ossis petrosi, majori quoque prudentia opus est, ne fluxus supprimatur. In ejusmodi casu topica cura imprimis spectat summam munditiam; amoveantur quoque particulae ossis exfoliatae (quem in finem Deleau semel canalem fistulosam cultro aperuit) dum porro ex peculiari indicatione, praesertim dyscrasiam aut in genere corporis conditionem spectante, curandi methodus instituenda differt.

Tandem si quaeras quamdiu continuandum sit cum remediis adhibendis, respondeo tamdiu, ut glandulae ceruminosae normalem functionem iterum perficiant. Signum equidem nescio, quod certius probat auris inflammationem penitus esse sublatam, quam rediens ceruminis normalis secretio.

T A N T U M.

T H E S E S.

I.

Recte Clar. Donders: quantitatem sanguinis absolutam intra cranii cavum augeri et diminui posse.

II.

Coma, quod dicitur apoplecticum et caetera symptomata compressionis cerebri, quae apoplexiam comitantur sanguineam, non semper derivanda censeo ab extravasato sanguine.

III.

Herpes zoster est neurosis.

IV.

Osteomalaciam cum Rachitide identicam esse, nego.

V.

Ophthalmiam intermittentem neuralgiam esse, censeo.

VI.

In cura morborum exanthematicorum maxime necesse est ut attendatur ad febres.

VII.

Otorrhoeae causa saepissime est myringis inflammatio chronica.

VIII.

Otitidem internam saepius confundi a Medicis cum Hydrocephalo acuto, haud dubito.

IX.

Digitus optimus plessimeter.

X.

Minus recte Hufeland: vomitus vomitu curatur.

XI.

Obstructio in colica saturnina a spasmō deducenda mihi videtur.

XII.

Inhalationes Jodii in phthisi pulmonali nocivas censeo.

XIII.

Spasmus clonicus, contracturae nomine notus, non certum signum praebet encephalomalaciae.

XIV.

Incarceratio herniae inguinalis externae spasmodica ex anatomia negari non potest.

XV.

In hydrocelis cura injectiones jodii praefero methodo a Doct. Baschwitz nuper propositae.

XVI.

Jure merito Clar. Förster: • Die Entzündung ist eine in einer bestimmten Richtung vor sich gehende Veränderung der

Ernährung der Organe. Die Bedingungen der normalen Ernährung eines Organes sind eine bestimmte Nerventhätigkeit in demselben, ein bestimmtes Verhalten des Blutdruckes, des Baues der Gefässwände und der Blutmischung, bestimmter Bau und Mischung der Gewebstheile und aus diesen Momenten hervorgegangene bestimmte Diffusions-Verhältnisse zwischen Blut und Geweben. In jeden dieser Momente kann der Angriffspunkt der Entzündungs-Ursache liegen."

XVII.

Abortum arte provocatum nonnunquam indicatum esse, statuo.

XVIII.

Applicatio forcipis indicata mihi videtur, si parturiens eclampsia afficitur, caput infantis in pelvi minore jam haeret, et ostium uteri satis est apertum.

XIX.

Jure merito Scanzoni de ruptura velamentorum artificiali: "Man darf diese kleine Operation keineswegs als so bedeutungslos betrachten, als es gewöhnlich geschieht, denn es ist gewiss nicht übertrieben, wenn wir sagen, dass durch ein unzeitiges und unbedachtes Vornehmen derselben, bedeutende Verzögerungen und Störungen des Geburtsverlaufes bedingt werden können."

AAN MIJNEN ZOON

BIJ ZIJNE BEVORDERING

TOT

DOCTOR IN DE GENEESKUNDE.

Vaderliefde, vreugd' van 't leven,
Bron van alle zaligheid,
Voorsmaak van den Hemelwellust,
Dochter der onsterflijkheid.

Vaderliefd' noopt mij te zingen,
Zij, zij spoort mijn dichtgeest aan.
Vrolijk juicht ze; daar ze uw schedel
Ziet omkranst met lauwerblaân.

't Worstelperk is doorgestreden! —
Ik wil u mijn wenschen biên,
o! Kondt ge in mijn harte lezen! —
Gij zoudt daar opregtheid zien.

Leef, kan 't zijn, een reeks van jaren!
Vreugde volg' u op uw schreên;
En het anders woelig leven
Rolle als 't murm'lend beekjen heen!

Red den sterv'ling, die door pijnen
 Afgemat, verlangt naar rust! —
 't Is zoo zalig, wen ge tranen
 Van het oog eens lijdens kust.

Dat de ware en zuiv're vriendschap
 U een steun zij in den druk! —
 Zij bestrooi uw levenspaden
 Met de rozen van 't geluk!

Liefde schenke aan u een' gade,
 Die ge opregt en teeder mint;
 En bij wie ge in vreugd' en smarte
 Zaligheid en wellust vindt!

Even als het veldviooltje,
 Door de zachte dauw besproeit,
 Zich allengskens geurig opent,
 En zoo zachtjes opwaarts groeit:

Zoo zal ook die liefde ontluiken,
 En, schoon haar de dood eens scheidt;
 Eenmaal zal zij schooner bloeijen,
 In 't genot der eeuwigheid. —

Vindt ge soms uw levenspaden
 Met het floers der ramp bedekt,
 Wen geen nietige aardsche grootheid
 d' Ed'le ziel tot vreugde wekt;

Dat de Godsdienst u dan trooste! —
Zij geneest de zielesmart,
En verspreidt in droeve rampen
Moed en kracht in 't zuchtend hart.

Daalt gij eens in 't graf ter neder,
(Eens te rusten is ons lot!)
O! — geniet dan ook die vreugde,
Die de Seraf smaakt bij God! —

R. BOERMA,
MED. DOCTOR.

